

LIBER I

AD FEDERICUM REGEM.

E1_1 v.1 Scribendi studium mihi tu, Federice, dedisti
 2 ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
 3 Ecce, suburbanum rus, et nova praedia donas :
 4 fecisti vatem, nunc facis agricolam.

AD VILLAM MERGILLINAM.

E1_2 v.1 Rupis o sacrae, pelagique custos,
 2 villa Nympharum domus, et propinquae
 3 Doridos, regum decus una quondam,
 4 deliciaeque ;
 5 nunc meis tantum requies Camoenis ;
 6 Urbis invisas quoties querelas,
 7 et parum fidos popularis aurae
 8 linquimus aestus :
 9 Tu mihi solos nemorum recessus
 10 das, et haerentes per opaca laurus
 11 saxa : tu fontes, Aganippidumque
 12 antra recludis.
 13 Nam simul te te repeto ; tuasque
 14 sedulus mecum veneror Napaeas :
 15 colle, Mergillina, tuo repente
 16 Pegasis unda
 17 effluit, de qua chorus ipse Phoebi,
 18 et chori Phoebus pater, atque princeps,
 19 nititur plures mihi jam canenti
 20 ducere rivos.
 21 Ergo tu nobis Helicon, et udae
 22 Phocidos saltus, hederisque opacum
 23 Thespiae rupis nemus, et canoro
 24 vertice Pindus.
 25 I, puer, blandi comitem laboris
 26 affer e prima citharam columna,
 27 affer et flores, procul omnis a me
 28 cura recedat.
 29 Principis nostri decus, atque laudes
 30 fama, per latas spatiosa terras,

31 evehat, qua Sol oriens, cadensque
 32 frena retorquet ;
 33 quaque non notos populos, et urbes
 34 damnat aeternis Helice pruinis,
 35 quaque ferventes cumulos arenae
 36 dissipat Auster.
 37 Ille crescentes veneratus annos
 38 vatis, antiquum referentis ortum
 39 stirpis, et clarum genus, et potentum
 40 nomen avorum ;
 41 contulit large numerosa dextra
 42 dona et ignavae stimulos juventae
 43 addidit, silvas et amica Muis
 44 otia praebens.

CALENDAE MAII.

E1_3 v.1 Majus adest ; daserta, puer ; sic sancta vetustas
 2 instituit, prisca sic docuere patres.
 3 Junge hederam violis, myrtum subtexet ligustris ;
 4 alba verecundis lilia pinget rosas.
 5 Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores :
 6 et fluat Assyrio sparsa liquore coma.
 7 Grandia fumoso spument crystallae Lyaeo :
 8 et bibat, in calicibus lapsa corona meos.
 9 Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
 10 Aeacus. Infernis non viret uva jugis.
 11 Heu vanum mortale genus, quid gaudia differis ?
 12 Falle diem : mediis mors venit atra jocis.

IN TUMULUM LADISLAI REGIS.

E1_4 v.1 Miraris niveis pendentia saxa columnis,
 2 hospes, et hunc, acriter qui sedet altus equo.
 3 Quid si animos, roburque Ducis, praeclaraque nosse
 4 pectora, et invictas dura per arma manus ?
 5 Hic Capitolinis dejecit sedibus hostem :
 6 bisque triumphata victor ab urbe redit :
 7 Italiamque omnem bello concussit, et armis :
 8 intulit Etrusco signa tremenda mari.
 9 Neve foret Latio tantum diademate felix ;
 10 ante suos vidit Gallica sceptrae pedes.
 11 Quumque rebellantem pressisset pontibus Arnun ;
 12 Mors vetuit sextam claudere Olympiadem.
 13 I nunc, regna para, fastusque attolle superbos
 14 mors etiam magnos obruit atra Deos.

AD FEDERICUM REGEM.

E1_5 v.1 Clausa quod effossis erumpunt ossa sepulcris,
 2 et referant veteres patria saxa rogos :
 3 nimirum tanto cupiunt sub Principe Manes

4 vivere, et ad nutus Umbra vocata venit.
 5 Utque decet, longo mansuras tempore sedes
 6 spondent, et regnis otia laeta tuis.
 7 Quaeque diu ambiguus tecum fortuna vagata est
 8 passibus ; hic certa stat bene nixa rota.
 9 Sume animos, Federice : tuis hic meta periclis
 10 haeret : habent Manes, et pia busta fidem.

AD NINAM.

E1_6 v.1 Sexcentas, Nina, da, precor, roganti
 2 sed tantum mihi basiationes :
 3 non quas dent bene filiae parenti ;
 4 nec quas dent bene fratribus sorores
 5 sed quas nupta rogata det marito,
 6 et quas det juveni puella caro.
 7 Juvat me mora longa basiorum ;
 8 ne me tam cito deserat voluptas.
 9 Nolo marmora muta, nolo pictos
 10 dearum, Nina, basiare vultus :
 11 sed totam cupio tenere linguam,
 12 insertam humidulis meis labellis ;
 13 hanc et sugere, morsiunculasque
 14 molles adjicere ; et columbulorum
 15 in morem, teneros inire lusus,
 16 ac blandum simul excitare murmur.
 17 Haec sunt suavia dulciora melle
 18 Hyblaeo, et Siculae liquore cannae.
 19 Haec sola ambrosiaeque, nectarisque
 20 succos fundere, sola habere possunt.
 21 Quae si contigerint mihi, tuisque
 22 admovere sinas manum papillis :
 23 quis tunc divitias, quis aurum, et omnes
 24 assis me putet aestimare reges ?
 25 Jam non maluerim mihi beatas
 26 aurorae, Venerisque habere noctes :
 27 non Hebes thalamos beatiores :
 28 non, si deserat haec suum maritum :
 29 non si me roget usquequaque : non si
 30 aeternam mihi spondeat juventam.

DE NATALI ALTILII VATIS.

E1_7 v.1 Musarum lux alma, meus cui tura quotannis,
 2 cui rite Altilius fundit in igne merum :
 3 accipe servatos hiberno frigore flores ;
 4 quaeque madent Siculis annua liba favis.
 5 Quandoquidem magnum Latio rarumque dedisti
 6 pignus, et Aoniis non leve nomen aquis.
 7 At tu, sic tristes numquam experiare tenebras,
 8 sic Phoebi nitido semper honore mices :
 9 fausta, precor, longos tamen expectata per annos,
 10 Altilioque tuo concolor usque redi.

AD FEDERICUM REGEM.

E1_8 v.1 Hibernas tibi pampineis cum vitibus uvas
 2 mittimus, o regni gloria, honosque tui.
 3 Prela vacant ; riget omnis ager ; spumantia tandem
 4 musta silent ; mensis est tamen uva tuis.
 5 Jam pater Autumnus vernantia lilia mittet ;
 6 talia si medio frigore bruma dedit.

DE EXPEDITIONE ALFONSI REGIS.

E1_9 v.1 Venturos olim Romana ad moenia Turcas,
 2 dixerunt vates : credite, vera canunt.
 3 Scilicet Alfonsum Turcas in bella trahentem
 4 exspectas fatis anxia Roma tuis.
 5 Pone metum, vincet ; sed te meliora manebunt
 6 imperia, Alfonso principe major eris.

IN TUMULUM LAURAE PUELLAE.

E1_10 v.1 Et lacrimas etiam Superi tibi, Laura, dedissent ;
 2 fas etiam Superos si lacrimare foret.
 3 Quod potuit tamen, auratas Puer ille sagittas
 4 fregit, et exstinctas maesta Erycina faces.
 5 Sed quamvis homines tangant tua fata, Deosque ;
 6 nulli flebilior, quam mihi, vita, jaces.
 7 Felices animae, quibus is comes ipsa per umbras ;
 8 et datur Elysium sic habitare nemus.

DE PARTU NISAEAE, CHARITEI CONJUGIS.

E1_11 v.1 Dum parit, et longas iterat Nisaea querelas ;
 2 scinditur incerta seditione polus.
 3 Pierides puerum, Charites optare puellam :
 4 his Venus, ast illis docta Minerva favet.
 5 Adstat amans Veneri Mavors, Phoebusque Minervae,
 6 magnanimusque aequa Jupiter aure sedet :
 7 quum subito aurato surgit Puer improbus arcu ;
 8 et Caelum notis territat omne minis.
 9 Assensere metu Superi. Pater ipse Deorum
 10 risit ; et Aonias jussit abire Deas.
 11 Exsultat palma Venus, et nascente puella
 12 audentur Charites, Cypria turba, Deae.

AD FEDERICUM REGEM.

E1_12 v.1 Edicto nuper quum tu, Rex magne, caveres,
 2 audaci ne quis stringeret arma manu :

3 deposuisse tuum vel primus diceris ensem,
 4 et monstrasse palam primus inerme latus.
 5 Quid majus populisve tuis, Federice, vel urbi
 6 accidere huic nostrae per tua dona potest ?
 7 Post domitos hostes, inter tot commoda pacis,
 8 contigit exemplis vivere posse tuis.
 9 Publica nimirum res tunc sibi constat, et aequum
 10 imperium, quum Rex, quod jubet, ipse facit.

DE EMENDATIONE CATULLI AD JOVIANUM.

E1_13 v.1 Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus ;
 2 ingratosque trahat Lesbia sola choros :
 3 non tam mendosi maerebit, damna libelli ;
 4 gestiet officio quam, Joviane, tuo.
 5 Ille tibi amplexus, atque oscula grata referret ;
 6 mallet et hos numeros ; quam meminisse suos.

DE CAESARE BORGIA.

E1_14 v.1 Qui modo prostratos jactarat cornibus ursos,
 2 in latebras taurus concitus ecce fugit.
 3 Nec latebras putat esse satis sibi : Tybride toto
 4 cingitur, et notis vix bene fidit aquis.
 5 Terruerat montes mugitibus : obvia nunc est,
 6 et facilis cuivis praeda sine arte capi.
 7 Sed tamen id magnum, nuper potuisse vel ursos
 8 sternere, nunc omnes posse timere feras.
 9 Ne tibi, Roma, novae desint spectacula pompae ;
 10 amphitheatrales reddit arena jocos.

AD EUMDEM, DUM AB URSINIS PREMERETUR.

E1_15 v.1 O Taure, praesens qui fugit periculum
 2 (nam te nec odio taediove tam bonas
 3 sprevisse silvas, tam bonos putem lacus)
 4 dic, quis propinqua nubibus tibi juga
 5 molestus invidet ? Juga illa jam tuis
 6 sudata cornibus, tuisque proeliis
 7 devicta ? Quis saltus, et amnium uberes
 8 cursus, torosque marginum virentium ?
 9 Quis uda rivis prata ? Quis recondita
 10 nemora ? Quis umbras sibilantium arborum
 11 male advocatus abstulit tibi Deus ?
 12 Non amplius videbis, ah miser, miser,
 13 amata regna ; non videbis amplius
 14 tuos amores ; non licebit, heu, tibi
 15 posthac cubanti sub genistulis tuis,
 16 mollive fulco niveum amaraco latus,
 17 audire voces ruminantium gregum ;
 18 meridianum non inire somnulum.
 19 Quae nunc adibis tesqua ? Quae petes loca,

20 miselle Taure ? Quas subibis ilices ?
 21 Ubi myricae ? Ubi virentis arbuti
 22 jucunda sedes ? Ubi salicta, et omnibus
 23 eheu juvenca praeferenda pascuis ?
 24 Juvenca, solos quae relictas ad aggeres
 25 Padi sonantis, heu malum sororibus
 26 omen, dolentes inter orba populos
 27 te te requirit, te reflagitans suum,
 28 implet querelis nemus ; et usque mugiens
 29 modo huc, modo illuc furit, amore perdita
 30 omnia peragrat arva ; lustrat omnia ;
 31 num qua bisulcae signa cernat unguiae :
 32 quaerit per alta montium cacumina ;
 33 quaerit per ima vallium cubilia
 34 memor locorum, non tamen sui memor :
 35 te mane primo, te rubente vespero
 36 luget : nec illam Luna quum recurreret
 37 caelo, nec atrae noctis alma sidera
 38 videre dormientem. Abire flumina,
 39 abire Solem, abire cernit omnia ;
 40 at ipsa maestam sola non abit domum,
 41 humi recumbens, strata sub nudo aethere.
 42 Hanc et Puellae nemorum, et ipse corniger
 43 Silvanus adspicit ; hanc bubulcus intuens,
 44 miser bubulcus, nec juvare eam valens,
 45 tantum, quod unicum in malis refugium habet,
 46 suspirat, ingemit, Deum invocat fidem
 47 iratus Ursis, quod coegerint procul
 48 abire silvis albulum juveniculum,
 49 et tam venustam clamitare buculam.

IN GEMMAM SUAM.

E1_16 v.1 Haec, mihi quae roseos jussit sordere hyacinthos,
 2 et nitet articulis unica gemma meis ;
 3 cujus in exiguo Ductor stat Troicus orbe,
 4 Anchisesque senex, Ascaniusque puer :
 5 quis credat ? Veteres inter neglecta ruinas,
 6 et vili latuit semisepulta solo.
 7 Tu tamen obrueras ; nec te, Sinuessa, pudebat
 8 hoc decus heu terris occuluisse tuis.
 9 Scilicet Aenean natumque, patremque gerentem,
 10 ignibus ereptos obrueresque deos ?
 11 Parcere debueras, cui jam pia flamma pepercit ;
 12 nec te tam turpi dedecorare nota.
 13 Et dubitem Belgasque feros, rigidosque Britannos
 14 hac comite, ignotos et penetrare sinus ?
 15 Haec est Iliacos pietas spectata per ignes ;
 16 quum verita est profugos laedere flamma deos.

DE VENERE, ET MARTE.

E1_17 v.1 Dum Venus armatum complectitur obvia Martem ;
 2 distrinxit teneram fibula adunca manum.

3 Sensit, et ante Jovem ridens ait aemula Pallas :
4 "Bella iterum gessit cum Diomede soror."

DE ENDYMIONE, ET LUNA.

E1_18 v.1 Spreverat hirsutas pascentem Pana capellas
2 candida nocturnis quae Dea fertur equis.
3 At postquam niveae conspexit munera lanae,
4 posthabuit notas Endymionis oves ;
5 qui simul ac tristes somno inclinaret ocellos :
6 "Mors haec, mors, inquit, non mihi somnus erit."

DE FERDINANDO JUNIORE.

E1_19 v.1 Corniger aesculea Faunus recubabat in umbra ;
2 quum prope latrantes sensit adesse canes.
3 Mox Juvenem Superis similem divinaque tela
4 conspiciens, trepido sic movet ora sono :
5 "Seu Mars, sive alto Phoebus descendis Olympo ;
6 jam jam linquo omnes te veniente feras."

DE POGGIO FLORENTINO, HISTORICO.

E1_20 v.1 Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
2 nec malus est civis, nec bonus historicus.

DE BARTH. PLATINA.

E1_21 v.1 Ingenia, et mores, vitasque, obitusque notasse
2 pontificum, argutae lex fuit historiae.
3 Tu tamen hinc laurae tractas pulmenta culinae :
4 hoc, Platina, est, ipsos pascere pontifices.

DE DIANA, ET FERDIN. II.

E1_22 v.1 Errabat Diana suis immista puellis ;
2 quum procul ecce mei conspicit ora Ducis ;
3 atque ait : "Huc, Nymphae, concedite ; namque propinquat
4 qui regat in saevas certius arma feras."

DE MANE, ET VESPERE.

E1_23 v.1 Sol jubet exoriens, Faunos, Dryadasque puellas
2 quaerere, et herboso ducere monte choros.
3 Declivis, vitreas suadet descendere ad undas,
4 Doridaque, et lusus, o Galatea, tuos.
5 Causa patet : quia, sublimes quum tendit in arces,
6 nos quoque per saltus, et juga summa rapit.

7 Quum vero Hesperios petit imae Tethyos amnes
8 exemplo ad fontes nos vocat ipse suo.
9 Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
10 ardua ; caruleis vespere gaudet aquis.

DE VULTURNO, ET PUERO REGIO.

E1_24 v.1 Miramur tacitis Vulturnum currere lymphis,
2 et tardos dura compede ferre pedes.
3 At magis occulto mirabimur urier igni,
4 et puerum tota nocte vocare suum.
5 Tune etiam, formose puer, vaga flumina torques ?
6 An fuerit reges perdomuisse parum ?
7 Quin etiam combure Deos, Dominoque Deorum
8 arma move, et pulso da Ganymede merum.

IN QUINTIUM.

E1_25 v.1 Clara tibi videor scripsisse Epigrammata, Quinti.
2 Sunt, fateor : medio scripsimus illa die.
3 Tu latebras obscurus amas ; quia lumine nullo,
4 atque intempesta scribere nocte soles.

DE MERCURIO, ET AMORE.

E1_26 v.1 Dum comes aligero Cyllenius iret Amori
2 aliger, incauto subripuit faculas.
3 Deprenso tum fure, manum referebat ad arcum,
4 sed non inventa risit Amor pharetra.

IN TUMULUM HANNIBALIS.

E1_27 v.1 Hannibal huc victas secum Carthaginis arces
2 transtulit : haec ambos terra Libyssa tegit.

DE VENERE, ET JUNONE.

E1_28 v.1 Confidit nimium jaculo dum pulcher Adonis ;
2 inguina setosus candida rupit aper.
3 Accurrit miseranda Venus. Tum Nupta Tonantis :
4 "Quid gemit haec ? Nullo Mars meus ictus apro est."

IN FABIANUM.

E1_29 v.1 Esse tibi sapiens, et vir, Fabiane, videris :
2 at mihi, nec sapiens, nec, Fabiane, vir es.

DE PRAETORE PRAESIDE DESIDE.

E1_30 v.1 Ait nefastas esse nundinas praetor ;
2 fari recusat : quid nefastius dicas ?

ATRAMENTUM SCRIPTORIUM.

E1_31 v.1 Ferrum putre situ spumanti fervet aceto,
2 mandet ut aeternis scripta voluminibus.
3 Scilicet hoc illud, vatium volitare per ora,
4 hoc est, Pyramidas vincere, Nile, tuas.
5 Infelix fatum : sanies rubiginis ergo
6 eripit invisio nomina nostra rogo ?

AD FEDERICUM REGEM.

E1_32 v.1 Ne tibi non aliquid Jani misisse Calendis
2 arguar, aut laetam non celebrasse diem :
3 mittimus hibernis servatas mensibus uvas ;
4 insuper et faustas addimus ore preces ;
5 ut tibi qui nitido cum Sole renascitur annus,
6 felici redeat candidus usque pede.

IN MANCINUM.

E1_33 v.1 Qui ferro fratres, stupro, Mancine, sorores
2 fas violare putat ; quid putat esse nefas ?

TUMULUS MAXIMILLAE.

E1_34 v.1 Hic hic siste, precor, gradum, viator.
2 Hoc sub marmore Maximilla clausa est :
3 quacum frigiduli jacent Amores,
4 et Lusus, Veneresque, Gratiaequae.
5 Hac illi miserae severa Clotho
6 pro dulci thalamo domum paravit.
7 Has matri dedit, has patri querelas
8 pro plausu, choreisque nuptiarum.
9 Quid firmum tibi, quid putes, viator,
10 mansurum inviolabile, aut perenne ?
11 Si quae deliciae juvenulorum,
12 et decus fuerat puellularum,
13 nunc eheu jacet ecce Maximilla,
14 luctus perpetuus juvenulorum,
15 aeternae et lacrimae puellularum.

DE MIRABILI URBE VENETIIS.

E1_35 v.1 Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
 2 stare Urbem, et toto ponere jura mari :
 3 "Nunc mihi Tarpeias quantumvis, Jupiter, arces
 4 objice, et illa tui moenia Martis", ait.
 5 "Si pelago Tybrim praefers, urbem adspice utramque :
 6 illam homines fecisse, hanc posuisse Deos.

DE ALFONSO DUCE CALABRIAE.

E1_36 v.1 Alfonsus magnum dum trajicit Apenninum
 2 castraque non solita primus in Alpe locat :
 3 armorum sonitus, galeasque, aerataque tela
 4 silvarum dominae pertimuere Deae.
 5 Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
 6 assueti imbelles ante videre feras :
 7 spectaruntque procul celsa de rupe silentes ;
 8 agmina dum, et magnos cogeret ille duces.
 9 Atque aliquis signa adspiciens, miratur, et inquit :
 10 "Imperium vobis urbis, et orbis erit."

DE INNOCENTIO VIII. PONTIFICE MAX.

E1_37 v.1 Innocuo priscos aequum est debere Quirites :
 2 progenie exhaustam restituit patriam.

AD VENEREM.

E1_38 v.1 Quid mihi te facilem blandis promittis ocellis,
 2 si miserum sic post uris, acerba Venus ?
 3 Non decet hoc Superos. Aut te mihi fronte serena
 4 concilia, aut torvo lumine bella move.

DE GALLA.

E1_39 v.1 Omnes, quos scripsi, versus vult Galla videre :
 2 mittam ego, pro libris si mihi labra dabit.

DE VETUSTINO.

E1_40 v.1 Emit sepulcro praedium Vetustinus,
 2 sed quod futuros non sequatur haeredes ;
 3 iratus aequae mortuisque, vivisque.
 4 Scribique curat grandibus notis, demens,
 5 "VIGINTI IN AGRO IN FRONTE TER PEDES OCTO".
 6 Habitat sub urbe scandulis tribus tectus ;

7 ne pensione degravetur, aut sumptu.
 8 Dormit grabato, quo nec ipse jam vellet
 9 dormire cimex, nec lacerta, nec forex.
 10 Cenat per hortos alliumque, caepasque,
 11 et salgamorum jure lividos caules :
 12 vel, siquid optat unctius sibi poni,
 13 piscatur ipsis in paludibus ranas :
 14 aut e cloaca colligit meras sordes,
 15 putrem palumbum, mortuumve caponem.
 16 Et doliorum turbidam bibit faecem,
 17 tamquam Falernum consulare, vel Chium,
 18 Opimianae quod refuderint cellae.
 19 Nec jam profestis hoc, sed Idibus tantum
 20 sacrisque potat ferculis calendarum.
 21 Et mane veste currit anxius rapta
 22 ad architectos, marmorumque sectores,
 23 ut de sepulcro conserat novas lites.
 24 Quos jam misellos pessimis modis mulctat ;
 25 ducit, reducit, distrahit, rapit, vexat,
 26 per angiportus, viculosque, clivosque,
 27 et per ruinas Urbis, et per anfractus
 28 monstrat theatra, porticusque priscorum,
 29 Arcusque claris Principum sacros armis ;
 30 hinc et Deorum templa, et obrutas thermas,
 31 et quidquid altis fornicum subest clivis :
 32 nec jam favissas linquit, et nigros Manes.
 33 Demum trecentis quum laboribus fractos,
 34 et aestuantes pariter, et fame siccos
 35 vix officinae post meridiem reddit
 36 jam feriatae, vectibusque adhuc clausae ;
 37 culpat coronas, zophorumque permutat.
 38 Spiras reformat, et scapos columnarum :
 39 et nunc Etruscas, nunc Corinthias mavult
 40 nunc Doricarum laudat ordinem tantum ;
 41 guttas, triglyphos, taenias, toros, plinthos.
 42 Quid cum columnis nunc tibi, Vetustine,
 43 aut cum voluta, Ionicisve pulvinis ?
 44 Dormi, miselle ; sat diu laborasti :
 45 cenare fessos et aliquando permitte.
 46 Aut, si sepulcri cura te coquit tanta,
 47 cadaver istud vel Gemoniis conde.

IN TUMULUM NEAERAE.

E1_41 v.1 Quae voces ? Charitum. Quae circum pompa ? Neaerae.
 2 Unde odor hic ? Cineri tura ministrat Amor.
 3 Unde pyra ? Ex pharetra. Quinam struxere ? Lepores.
 4 Ast haec illacrimans quae legit ossa ? Venus.
 5 Fortunate lapis, tumuloque beatior omni,
 6 tu tegis in terris siquid honoris erat.

DE HYBLA.

E1_42 v.1 Hybla, mei quondam dulcissima cura Marulli ;

2 Hybla, suburbano nuper humata solo :
 3 accipe quae multo promuntur verba dolore
 4 accipe de lacrimis humida sarta meis.
 5 Te rosa, te violae, te mollis amaracus ornet :
 6 te pia suspenso pondere velet humus.
 7 Et tibi, quod rarae possunt sperare puellae ;
 8 contingant vatis carmina docta tui.

DE AUFIDIO.

E1_43 v.1 Dum caput Aufidio tractat chirurgus, et ipsum
 2 altius exquirat, quo videat cerebrum.
 3 Ingemit Aufidius ; quid me, chirurge, fatigas ?
 4 Quum subii rixam, non habui cerebrum.

AD ALFONSUM.

E1_44 v.1 Qui prius Herculeae sensit Leo vulnera clavae,
 2 hic, Alfonse, tuos corrueat ante pedes.
 3 Quaeque viret nostras quercus passura secures,
 4 deseret immundos fulmine tacta sues.
 5 Victa dabit Bellona manus : Pax arva reviset :
 6 claudentur dirae Marte sedente fores.
 7 Tunc pia Parthenope laetos tibi ducet honores.
 8 Per fora, per vicos otia vulgus aget.
 9 Sebethosque pater fluviis metuendus Etruscis,
 10 aurea caeruleum tollet ad astra caput.

IN LYDAM.

E1_45 v.1 Quum dixi medio tibi macram algere sub aestu,
 2 non dixi fluvium, Lyda : quid ergo ? Cutem.

IN OLLUM.

E1_46 v.1 Omnia facturum te dicis, nil facis, Olle.
 2 Nil mirum : levius dicere, quam facere est.

AD RUFUM.

E1_47 v.1 Tamquam prisca mihi, saxoque inventa vetusto,
 2 disticha, Rufe, soles saepe referre tua.
 3 Stultum adeo me, Rufe, putas ? Ego tam mala credam
 4 carmina Romano marmore posse legi ?
 5 Archemoro longos affingis Nestoris annos.
 6 Andromaches puerum Laomedonta vocas.
 7 Desine mentiri Pyliam, Phrygiamque senectam.
 8 Sint vetera haec aliis, mi nova semper erunt.

DE CYPARISSO PUERO.

E1_48 v.1 Flebat adhuc maerens cervo Cyparissus adempto,
 2 quum sua conspexit cortice membra tegi.
 3 Delius exclamat : "Quid nostro, silva, dolore
 4 crescis ? Tu Daphnen, tu Cyparisson habes."

DE HARMOSYNE.

E1_49 v.1 Harmosynen quisquis seu vir, seu femina vidit,
 2 deperit : anne oculos Actius unus habet ?

DE JUCUNDO ARCHITECTO.

E1_50 v.1 Jucundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes :
 2 jure tuum potes hunc dicere Pontificem.

DE AENEA, ET DIDONE.

E1_51 v.1 Immemor ah miserae cur ensem linquis Elisae,
 2 nate Dea ? Profugas non gravat ille rates.
 3 Anne parum fuerat causam dare mortis acerbae,
 4 ni ferrum fugiens tu quoque triste dares ?
 5 Tolle, precor, tumidas tecum hoc, jam tolle per undas.
 6 Discessu, satis est, si perit illa tuo.

IN CAECILIANUM.

E1_52 v.1 Si tibi per genium fas est jurare Minervae,
 2 per Veneris flavas, Caeciliane, comas,
 3 nec jubar excipitur Solis, nec cornua Phoebes,
 4 nec Capitolini crura, caputque Patris :
 5 cur mihi tu ventrem, cur intestina Deorum,
 6 Hispana tactus relligione, sonas ?
 7 Non pudet heu caelum rebus foedare pudendis ?
 8 An credis magnos haec quoque habere Deos ?

AD MARINUM CARACCIOLUM.

E1_53 v.1 O dulce, ac lepidum, Marine, factum,
 2 dignum perpetuo joco, atque risu,
 3 dignum versiculis, facetiisque,
 4 necnon et salibus, Marine, nostris.
 5 Ille maximus Urbis imperator
 6 Caesar Borgia, Borgia ille Caesar,

7 Caesar patris ocellus, et sororis,
 8 fratrum blanditiae, quies, voluptas,
 9 montis pupulus ille Vaticanus,
 10 ille inquam dominae Urbis inquinatus
 11 Caesar Borgia, Borgia ille Caesar,
 12 moechus illi sororis, atque adulter,
 13 fratrum pernicies, lues, sepulcrum,
 14 montis bellua tetra Vaticanus ;
 15 quingentas modo qui voravit urbes
 16 imbutus scelere, et malis rapinis,
 17 urbes sub ducibus suis quietas,
 18 quascumque aut Latium ferax virorum,
 19 aut Campania pinguis, aut per alta
 20 divisi juga continent Sabini ;
 21 hisque ingessit Ariminum, Pisaurum,
 22 Urbinum, Populoniumque magnam,
 23 Camertes pariter, Forumque Livii,
 24 Cornelianumque Forum, Faventiumque,
 25 et quantum Aemiliae est, Etruriaeque,
 26 quantum circuitu hinc et inde longo
 27 Neptuni lavat aestuantis unda.
 28 At nunc quis neget esse opus Deorum ?
 29 Dum vecors animi impotente morbo,
 30 quaerit plura, nec est potis misellus
 31 explere ingluviem periculosam ;
 32 ecce ecce evomit ; o Jovem facetum,
 33 o pulchram Nemesim, o venusta fata.
 34 Verum scilicet id, Marine, verum est,
 35 quod dici solet, en fides probat nunc,
 36 Fortunam si avide vorare pergas,
 37 eadem male concoquas, necesse est.
 38 Ut jure evomere hunc putemus ipsum,
 39 qui tantum miser hausit oppidorum.
 40 Ast id omne, quod hausit, oppidorum,
 41 quod quinque assiduis voravit annis,
 42 imbutus scelere, et malis rapinis,
 43 scis quot evomuit diebus ? Uno.
 44 O lucem niveam, o Jovem facetum,
 45 o pulchram Nemesim, o venusta fata,
 46 o dulce, ac lepidum, Marine, factum.

DE CAESARE BORGIA.

E1_54 v.1 Aut nihil, aut Caesar vult dici Borgia : quid ni ?
 2 Quum simul et Caesar possit, et esse nihil.

AD EUMDEM.

E1_55 v.1 Omnia vincebas : sperabas omnia, Caesar,
 2 omnia deficiunt : incipis esse nihil.

DIES GENIALIS.

E1_56 v.1 Aureli, perfunde meis unguenta capillis,
 2 tu super et vernas sparge, Nearchē, rosas.
 3 Sed prius aestivum ramis defendite solem ;
 4 et viridi mollem sternite fronde torum.
 5 Non plumae, non picta juvant me stragula, nec quae
 6 pavonis vario sponda colore nitet.
 7 Larga coronata disponite pocula mensa ;
 8 Setino et gelidas adsociate nives :
 9 certatimque leves potanti inducite somnos.
 10 Sic juvat aetatis ducere fila meae.
 11 An scimus miseri, quid lux ventura minetur ?
 12 Vivamus : mortem fallere nemo potest.

AD AMICAM.

E1_57 v.1 Da mihi tu, mea lux, tot basia rapta petenti,
 2 quot dederat vati Lesbia blanda suo.
 3 Sed quid pauca peto, petiit si pauca Catullus
 4 basia ? Pauca quidem si numerentur, erunt.
 5 Da mihi, quot caelum stellas, quot litus arenas,
 6 silvaeque quot frondes, gramina campus habet ;
 7 aere quot volucres, quot sunt et in aequore pisces ;
 8 quot nova Cecropiae mella tuentur apes.
 9 Haec mihi si dederis, spernam mensasque deorum,
 10 et Ganymedeā pocula sumpta manu.

AD BASSUM DE PHILLIDE.

E1_58 v.1 Quum de cathedra, Basse, surgeret nuper
 2 mammosa Phyllis ; tunica mollis, ut saepe
 3 his accidit, qui obesulas habent clunes,
 4 intravit illuc, unde prodeunt aerae,
 5 quae de Sabaeis messibus nihil spirant :
 6 quod ut animadvertit dicaculus quidam ;
 7 urbanioŕem ut se faceret, ait ridens :
 8 "Heus, Phylli, quisnam mordicus tenet vestem ?
 9 Vorabit hanc, ni praecaves. Ad hunc Phyllis,
 10 immo", inquit, "ut scias, sibi labra abstergit :
 11 accede, pupe, basiare te nam vult."

AD VESBIAM.

E1_59 v.1 Adspice, quam variis dstringar, Vesbia, curis.
 2 Uror, et heu nostro manat ab igne liquor.
 3 Sum Nilus, sumque Aetna simul : restinguite flammam,
 4 o lacrimae, lacrimas ebibe, flamma, meas.

AD AEGLLEN.

E1_60 v.1 Si tibi sum Phoebus, si sum tibi Jupiter, Aegle,
2 cur tu non Daphne sis mihi, non Danae ?

AD PULICIANUM.

E1_61 v.1 Ait nescio quis Pulicianus,
2 ni pulex mage sit vocandus hic, qui
3 unus grammaticus, sed his minutis
4 vel longe inferior, minutiorque est ;
5 divinum sibi passerem Catulli
6 haudquaquam bene passerem sonare ;
7 nec jam id esse, quod autument legentes,
8 sed quod versiculis parum pudicis
9 ludens innuat ipse Martialis :
10 da mi basia, sed Catulliana :
11 quae si tot fuerint, quot ille dixit ;
12 donabo tibi passerem Catulli :
13 ut sit, quod puero Poeta possit
14 post longas dare basiationes,
15 quod salvo nequeat pudore dici.
16 Proh, Dii, quam vafer es, Puliciane ;
17 solus qui bene calleas poetas.
18 Nimirum, et quod ab omnibus probetur,
19 mutandum quoque suspicaris illud,
20 quod nunc illepidumque, et infacetum
21 mendosis Epigrammaton libellis
22 insulse legit imperita turba :
23 sic forsitan tener ausus est Catullus
24 magno mittere passerem Maroni :
25 quum sit simpliciusque, rectiusque
26 mitti, dicere, mentulam Maroni.
27 Sed quid vos, Aganippides puellae,
28 ridetis ? Meus hic Pulicianus
29 tam bellum sibi passerem Catulli
30 intra viscera habere concupiscit.

DE EODEM.

E1_62 v.1 Vanas Gigantum iras et impetus graves
2 miratur aliquis audiens mortalium ;
3 ausumque Caelo vincula inferre irrita
4 saevum Typhoea, quum jocosum Pelion
5 adderet Olympo, matre nec Terra fatum
6 agnosceret se se ; impium donec Pater
7 iratus ardenti igne sustulit caput ;
8 ut par erat : nam quis petat sanus Deos ?
9 At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium ?
10 Iners, pusillus, unus heu pulex ciet
11 turmas, cohortes, copias, manipulos
12 muscarum, et altos scandere adparat toros
13 heroum ; opacis qui sub umbris arborum
14 strati, ac perenni flore subfulti caput,

15 ducunt quietem perpetem, aeternam, optimam ;
 16 nec nostra curant dicta, vel facta amplius,
 17 ut qui beatos incolant tuti locos ;
 18 et nomen alta in arce sacrarint suum,
 19 functi periculis, et malis laboribus ;
 20 cunctasque Fortunae improbae calcent minas,
 21 ne dum pusilli pulicis morsus leves.
 22 At tu, moleste, amare, vesane, impie
 23 pulex, inepti concitator agminis,
 24 quo proripis te ? Quo vocas muscarias
 25 istat phalanges ? Quo volatiles globos
 26 impellis audax ? I procul, miser, miser,
 27 i, criminose, maximam in malam crucem.
 28 Haud fas quietas Manium sedes Deum
 29 muscas subire, pulicumque copias.
 30 Nil hic negotii vel tibi, vel pessimis
 31 tuis maniplis : quid moraris, impie ?
 32 Abi profundam in noctem, et ultimum Chaos.
 33 Speranda certe gloria hic nulla est tibi.
 34 Quos Dii probavere semel, hos semper probant.

ACTAEON MARMOREUS.

E1_63 v.1 Viderat Idaeo nudas in vertice Divas
 2 Phryx Paris, et dixit : "Vincis utramque, Venus."
 3 At si, Gargaphiis quam nos male vidimus undis
 4 vidisset, poterat dicere : "Cede, Venus."

ORPHEO RESPICIENTI.

E1_64 v.1 Hoc fuit, infelix, et adhuc heu respicis, Orpheu,
 2 quod te, quod miseram perdidit Eurydicen.

ECHO LOQUITUR.

E1_65 v.1 Vidi, arsi, flevi, tristemque (heu fata) repulsam
 2 sprete tuli : sum nunc vox, sonus, aura, nihil.

EADEM JOCATUR.

E1_66 v.1 Quum facie caream, quaeris, cur dicar imago :
 2 quum tua verba sequar ; dic, ubi lingua mea est ?

IN MALUM LIBRUM.

E1_67 v.1 Si sapis, hospes, abi ; miserum neu tange libellum.
 2 Non hic Maeoniden, Virgiliumve leges,
 3 sed foedas Bavii chartas, et olentia Maevii
 4 carmina, Romani dedecus eloquii.

5 Quid dubitas sacros incendia poscere lucos ;
6 abnuerit liquidas si dare Phoebus aquas ?

LIBER II

LAUDAT FEDERICUM REGEM.

E2_1 v.1 Quum vehor picta vacuus phaselo ;
2 et modo septos jaculis echinos,
3 nunc bene haerentes scopulis laboro
4 vellere conchas :
5 tange vocales studiosa chordas,
6 Musa ; et auratum moderare plectrum :
7 pauca de multis referamus acta
8 Regis amati.
9 Qualis herboso spatiosa campo
10 Virgo, jam matris decus, et voluptas,
11 nectit e solis violis coronam,
12 caetera linguens.
13 Hic ubi veras imitata turres
14 tot simul pinnis, niveisque tectis,
15 rupe Mergillina sedens, propinquum
16 spectat in aequor,
17 adsit ex imo Galatea fundo,
18 nil timens saevos Polyphemi amores ;
19 nec mihi durum refluens canenti
20 obstrepat unda.
21 Sit licet magnus, trepidasque turmas
22 fregerit primis Federicus ausis ;
23 quum puer celsas penetravit Alpes,
24 saxaque Rheni :
25 texerit latis pelagus carinis,
26 Dalmatum dites populatus urbes :
27 senserit presso prope fulmantem
28 ore Timavus :
29 cinxerit sacra meritum corona
30 et caput ; Gallos quoniam feroces
31 contudit : totas revocarit Orci ex
32 faucibus urbes :
33 nil tamen majus, nihil egit umquam
34 fortius ; quam quod titubante regno,
35 quum sibi sceptrum, et diadema posset
36 sumere tutus ;
37 conjugem caram, propriosque natos
38 liquit, et fidas lacrimas clientum,
39 fratris heu pulsam sobolem secutus
40 per mare vastum.
41 Ergo nunc illi Moderator alti
42 aetheris, cui sunt pia facta curae ;
43 regium frontis decus, et negatos
44 addit honores.

45 O Fides, rarum, placidumque numen ;
 46 o mihi nullis reticenda saeculis ;
 47 te te ego aeternum prece, victimisque
 48 pronus adorem.

DE ANDREA MATTHAEO AQUIVIVO.

E2_2 v.1 Cernis, ut exsultet patriis Aquivivus in armis ;
 2 duraque spumanti frena relaxet equo ?
 3 Quis mites illum Permessi hausisse liquores
 4 credat, et imbelles excoluisse lyras ?
 5 Consurgunt niveae fulgenti in casside cristae :
 6 at clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
 7 Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,
 8 qui Martem doctos cogis amare choros.
 9 Haec ducis est virtus ; non uni insistere palmae ;
 10 sed nomen factis quaerere, et ingeniis.

IN BUBONEM.

E2_3 v.1 Nam quis te, inepte bubo, tam stolidus furor
 2 adegit importunum inire proelium,
 3 isto indecenti rostro, et alis luridis ?
 4 Quid bellicosae volucris, insulse, asperos
 5 laccessis unguis ? Desine, miser, dum licet ;
 6 ne dormientis excites somnum tuo
 7 cum maximo, ut par est, malo, ac clade ultima.
 8 Sed pervenire vis in ora vulgi ; et hac
 9 via cupis, sceleste, fieri notior ?
 10 Non assequere ; nec profecto tam bono
 11 fruere fato. An hoc pudendo sanguine
 12 se tingat aquila, fulminum et caeli immemor ?
 13 Ponenda honestae mortis haec spes est tibi.

AD MATHONEM.

E2_4 v.1 Ut mandem victura meis tua nomina chartis ;
 2 dicis amicitiam te, Matho, velle meam.
 3 Et tibi semper in ore duces, quos Graius Homerus,
 4 quos noster Latia vexit in astra tuba.
 5 Dumque ego sum tanti te iudice ; venit ab horto
 6 cum donis olitor bisve, semelve tuus,
 7 scilicet aeterni pretium mihi grande daturus
 8 nominis, et fidae pignus amicitiae.
 9 O Matho, quam felix et amico, et vate reperto es,
 10 quam felix horto, muneribusque tuis ;
 11 si quod Diis genitis vix tot peperere labores,
 12 id tibi lactucae, prototomique dabunt.

DE PATRIA HOMERI.

E2_5 v.1 Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenae
2 cedite jam : caelum patria Maeonidae est.

DE LUNA, ET PANE.

E2_6 v.1 Effudit longas Tegeaea in rupe querelas
2 Pan captus forma, candida Luna, tua.
3 Quumque levi calamos cera conjungeret, addit :
4 praedata es sensus tu quoque, canna, meos.

IN TUMULUM AMARANTHAE.

E2_7 v.1 Hic Amarantha jacet ; quae, si fas vera fateri,
2 aut Veneri similis, vel Venus ipsa fuit.

AD FERRANDUM REGEM.

E2_8 v.1 Ex ferro nomen tibi sit licet, aurea condis
2 saecula ; nam sub te principe nemo metit.

DE SUMMONTII PIETATE.

E2_9 v.1 Excitat obstrictas tumulis Summontius Umbras ;
2 impleat ut sanctae munus amicitiae.
3 Utque prius vivos, sic et post fata sodales
4 observat ; tristes et sedet ante rogos.
5 Nec tantum violas cineri, ac bene olentia ponit
6 sarta ; sed et lacrimis irrigat ossa piis.
7 Parva loquor : cultis reparat monumenta libellis ;
8 quum possint longam saxa timere diem.
9 At tu, vivaci quae sulcis nomina fama,
10 poscenti gratas, Musa, repende vices :
11 ut quoniam dulces optat sic vivere amicos ;
12 vivat, et in libris sit sacer ille meis.

DE VENERE, ET DIANA.

E2_10 v.1 Incultam adspiciens silvis Cytherea Dianam,
2 risit, et, "An tendes retia semper ?" ait.
3 Cui Dea casta : "Feris cur non ego retia tendam,
4 tendere si potuit vir tuus illa tibi ?"

AD AEGLLEN.

E2_11 v.1 Absentem quaeris, praesentem despicias, Aegle.

2 Non redamas ; sed me vis in amore mori.

DE VENERE, ET PRIAPO.

E2_12 v.1 Tractabat clypeum Marti placitura Dione :
 2 saevaque feminea sumpserat arma manu.
 3 "Pone, Dea," exclamat petulanti voce Priapus,
 4 "pone : decet istas haec magis arma manus.

IN GELLIAM.

E2_13 v.1 Quem tu nunc patrum, nunc patrem, Gellia, dicis ;
 2 hic tibi nec patruus, Gellia, nec pater est.

IN FLACCUM.

E2_14 v.1 Non largitur opes, et vult Epigrammata Flaccus.
 2 Jure suo haec poscit ; vult sibi verba dari.

DE PETO COMPATRE.

E2_15 v.1 Petus deliciae tuae, Dione ;
 2 uni cui Charitum sales beatos,
 3 cui fontes dederas facetiarum,
 4 ac risus simul eleganter omnes ;
 5 Petus mortuus est tuus, Dione,
 6 Petus Compater usque ad astra notus.
 7 Qui puro niveae colore mentis
 8 vincebat nitidissimos olores.
 9 Donarunt violas Jocusque, Amorque,
 10 donavit teneram Thalia myrtum.
 11 Mox promens citharam decentiorem,
 12 versus addidit eruditiores.
 13 O saevae nimium, malaeque Parcae,
 14 vestros non potuit tenere fusos
 15 Petus ; qui rapidas domare tigres,
 16 qui duras potuit movere quercus,
 17 vestras non potuit colos morari.
 18 Sic, sic occidis heu, miselle Pete :
 19 nec te Pierides tuae, nec ipsa
 20 quae te per Paphon, et Cnidon virentem,
 21 per colles Amathuntios vocavit,
 22 Fatis eripuerunt tam malignis.
 23 At non unanimes tui sodales
 24 quos tu pectore tam pio colebas,
 25 quos tristes obitu tuo relinquis,
 26 hoc duro tibi defuere casu.
 27 Quin me trans Ligerim, ferosque Celtas,
 28 lustrantem Morinum pigras paludes.
 29 Dum quaero Oceani ultimos recessus ;

30 veris nuntius obruit querelis.
 31 Ergo quid tibi tam vagus viator,
 32 cui nec pulchra Neapolis, nec alti
 33 colles Pausilypi, nec ipse adesset
 34 Sebethos pater, aut pater Vesevus ;
 35 inferre exsequiarum, amice, possem ?
 36 Rupem, quam vagus hinc, et inde Nereus
 37 alterna veniens retundit unda,
 38 accessi ; et procul angulo in supremo
 39 stans, supra Pelagi alluentis aestus,
 40 Manes terque quaterque convocavi.
 41 Hic fudi lacrimas amariores :
 42 hic vici gemitus vel unus omnes,
 43 omnes et simul omnium querelas.
 44 Mox quamvis cineri tuo decentem
 45 Pontanus tumulum pararit, ac te
 46 cognatas veneretur inter Umbras ;
 47 quamvis et diuturnius sepulcrum,
 48 quod nec saecula vincere ipsa possint,
 49 divinis paret excitare chartis :
 50 nostrum non tibi qualecumque munus
 51 inter frigora, solitudinesque
 52 cessavit ; nec honore te supremo
 53 fraudavi miser : hoc scit ipsa Tethys ;
 54 scit late Oceani unda Gallicani.
 55 Stant arae tibi, stat videnda nautis
 56 terreni tumuli pusilla moles ;
 57 et buxus super, et dicata quercus.
 58 Nam myrtum regio illa non habebat.
 59 Quae jussit pietas sacrare, ut esset
 60 naturae tibi terminus sepulcrum.

IGNES NOCTURNI ROMAE.

E2_16 v.1 Adspicis, ut picti vultus imitetur Olympi,
 2 certet et astriferos vincere Roma polos.
 3 Scilicet hos, Auguste, tibi largitur honores ;
 4 ne cupias magni tecta videre Jovis.
 5 Alta coronatae jactant incendia turres :
 6 et Vaticano fulmina monte tonant.
 7 Dumque palam tantos cupit ostentare paratus
 8 urbs nimium in laudes ambitiosa suas :
 9 vivant astra, inquit, summo contenta Tonante ;
 10 pareat Augusto dummodo Roma suo.

DE TYRANNIS ET BRUTO.

E2_17 v.1 Quum tot Tarquinius passim consurgere cernas ;
 2 miraris, Brutum cur ferat Italia ?

IN TUMULUM PUERI.

E2_18 v.1 Nate, patris, matrisque amor, et suprema voluptas,
 2 accipe, quae nobis te dare par fuerat.
 3 Busta eheu, tristesque notas damus ; invida quando
 4 Mors immaturo funere te rapuit.

DE HERCULE, ET GANYMEDE.

E2_19 v.1 Palluit Alcides teneri Ganymedis amore :
 2 et vetus amissi cesserat ardor Hylae.
 3 "Quid linquet nobis puer hic ?" ait uxor "Honores
 4 eripuit quondam ; nunc rapit ecce Virum."

IN UFENTEM CRAPULATOREM.

E2_20 v.1 Non futuit, non paedicat, non irrumat Ufens :
 2 ista olim ; quid nunc ? Aut vomit, aut comedit.

IN DEGENERANTEM.

E2_21 v.1 Nomen avi, non facta refers : diceris ab illo
 2 alter, sed juvenis tu, precor, ille senex.

DE JOVE, ET CUPIDINE.

E2_22 v.1 De Veneris Nato questa est Dictynna Tonanti,
 2 quod nimis ille Puer promptus ad arma foret.
 3 Tum Pater accito ostendens grave fulmen Amori,
 4 hoc tibi, saeve Puer, spicula franget, ait.
 5 Cui lascivus Amor motis haec reddidit alis :
 6 quid si iterum posito fulmine Cycnus eris ?

IN RICCIUM.

E2_23 v.1 Aegrotat sedis vitio, et male Riccius audit.
 2 Quid, si esset surdis Riccius auriculis ?

DE DANAE, ET JOVE.

E2_24 v.1 Formosam Danaen munibat ahenea turris :
 2 et satis hoc vanus credidit esse pater.
 3 Indoluit, tenerae miseratus fata puellae
 4 Jupiter, et subito factus amator, ait :
 5 "Ergo arcere potes natam divisque, virisque :
 6 at si non arces imbribus, imber ero."

DE LUCIO GRAMMATISTA.

E2_25 v.1 Noctes, et noctes iterat dum Lucius, illi
2 perpetuam noctem praebuit altus Arar.

DE VULCANO, ET VENERE.

E2_26 v.1 Horrida caelicolis narrabat proelia Mavors,
2 saevaque terribili capta trophaea manu :
3 quod Venus audiret, doluit Vulcanus. "Et, heus tu,"
4 inquit, "an exspectas, ut mea vincla canat ? "

DE SE IPSO.

E2_27 v.1 Miraris, liquidum cur non dissolvor in amnem,
2 quum numquam siccis cogar habere genas.
3 Miror ego, in tenues potius non isse favillas,
4 assiduae carpant quum mea corda faces.
5 Scilicet ut misero possim superesse dolori ;
6 sic lacrimis flammis temperat acer Amor.

DE HERCULE, ET JOVE.

E2_28 v.1 Pendebat Phrygii Tirynthius ore ministri ;
2 delicias magno dum facit ille Jovi.
3 Tum Pater : "Haud equidem favi, fortissime," dixit,
4 "formosum rapuit quum tibi Nais Hylan."

DE VENERE, ET PALLADE.

E2_29 v.1 Induerat thoraca humeris, galeamque decoro
2 aptarat capiti, Marte jubente, Venus.
3 Nil opus his, Sol, Diva, inquit ; sumenda fuerunt,
4 quum vos ferratae circuire plagae.

CATONIS TUMULUS.

E2_30 v.1 Hic, ubi Libertas, magni et jacet umbra Catonis,
2 quam melius poterant Caesaris ossa tegi !

DE VENETORUM SIGNIS.

E2_31 v.1 Romanas Aquilae postquam liquere cohortes,

2 magnanimus turmas ducit in arma Leo.

DE ANDREA MATTHAEO AQUIVIVO, DUCE HADRIAE.

E2_32 v.1 Maesta Butuntinae duxerunt otia Nymphae,
 2 nec Faunis solitos exhibuere choros.
 3 Scilicet optato quidquid sine principe cernunt,
 4 ingratum est, tantus Principis urget amor.
 5 Nec satis est, positis arcum sprevisse sagittis,
 6 questubus et totos continuasse dies.
 7 Ast etiam nostris faciunt convicia terris :
 8 et nos Sirenas, Lotophagosque vocant.
 9 Vera loquor : Divae, veniam date vera loquenti ;
 10 non amor hic certe, sed magis invidia est.

DE THELESINAE CRINIBUS.

E2_33 v.1 Dum nectit flavos auro Thelesina capillos
 2 contraxit radios Phoebus, et erubuit.
 3 Mox haec ad Superos : "En auro jungitur aurum :
 4 hoc est mortales, hoc superare Deos."

IN GALEATIUM CARACCIOLUM.

E2_34 v.1 Hippolyten, Leden, Thelesinam diligis unus ;
 2 dic mihi, quid tota restat in urbe boni ?

IN THEATRUM CAMPANUM.

E2_35 v.1 Dicite, Semidei, silvarum Numina, Panes,
 2 et siqua adventu es Nympha fugata meo :
 3 cui licuit tantas saxorum evertere moles,
 4 quas jam disjectas vix nemora alta tegunt ?
 5 Hisne olim sueta est cuneis Campana juvenus
 6 amphitheatrales laeta videre jocos ?
 7 Nunc ubi tot plaususque hominum, vocesque canorae,
 8 tot risus, tot jam gaudia, tot facies ?
 9 Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus ;
 10 et quae sustulerat, deprimit ipsa dies.

DE FONTE MERGILLINES.

E2_36 v.1 Est mihi rivo vitreus perenni
 2 fons, arenosum prope litus ; unde
 3 saepe descendens sibi nauta rores
 4 haurit amicos.
 5 Unicus nostris scatet ille ripis,
 6 montis immenso sitiante tractu,

7 vitifer qua Pausilypus vadosum ex-
 8 currit in aequor.
 9 Hunc ego vitta redimitus alba,
 10 Flore, et aestivis veneror coronis ;
 11 quum timent amnes, et hiulca saevum
 12 arva Leonem.
 13 Antequam festae redeant Calendae
 14 fortis Augusti, superantque Patri
 15 quatuor luces ; mihi tempus omni
 16 dulcius aevo.
 17 Bis mihi sanctum, mihi bis vocandum
 18 bis celebrandum potiore cultu
 19 duplici voto, geminaque semper
 20 turris acerra.
 21 Namque ab extremo properans Eoo,
 22 hac die primum mihi vagienti
 23 Phoebus illuxit, pariterque dias
 24 hausimus auras.
 25 Hac et insigni peragenda ritu
 26 sacra sollemnes veniunt ad aras,
 27 Nazari unde omnes tituli, meaeque
 28 nomina gentis ;
 29 Nazari vastas cohibentis undas
 30 aequoris, saevosque domantis aestus,
 31 quidquid et vani truculenta jussit
 32 ira Neronis.
 33 O decus caeli, simul et tuorum,
 34 rite quem parva veneramur aede ;
 35 cui frequentandas populis futuris
 36 ponimus aras :
 37 si mihi primos generis parentes,
 38 si mihi lucem pariter dedisti :
 39 huc age, et fontem tibi dedicatum
 40 saepe revise.

DIVO NAZARIO.

E2_37 v.1 Natali quod, Dive, tuo lucem editus hausi ;
 2 quod tua nascenti lux mihi prima fuit :
 3 Actius hoc riguo parvum cum fonte sacellum
 4 dedico ; tu nutu fac rata vota tuo :
 5 ut quae Sextiles lux venerit ante Calendas
 6 quarta, sic hic generi bis celebranda meo ;
 7 et quod solemnes revocat tua festa per aras ;
 8 et quod natalem contigit esse meum.

DE LAURO AD NERITINORUM DUCEM

E2_38 v.1 Illa Deum laetis olim gestata triumphis,
 2 claraque Phoebaeae laurus honore comae,
 3 jampridem male culta, novos emittere ramos,
 4 jampridem baccas edere desierat.
 5 Nunc lacrimis adjuta tuis revirescit ; et omne
 6 frondiferum spirans implet odore nemus.

7 Sed nec eam lacrimae tantum juvare perennes ;
 8 quantum mansuro carmine quod colitur
 9 hoc debent, Aquivive, duces tibi debet et ipse
 10 Phoebus ; nam per te laurea silva viret.

IN TUMULUM COTTAE VERONENSIS.

E2_39 v.1 Sperabas tibi docta novum Verona Catullum :
 2 experta es duros bis viduata Deos.
 3 Nulla animum posthac res erigat : optima quando
 4 prima rapit celeri Parca inimica manu.
 5 Quae tamen ut vidit morientis frigida Cottae
 6 ora ; suum fassa est crimen, et erubuit.

IN PICENTEM MEDICUM.

E2_40 v.1 Quod noctu latras, quod sellas olfacis unus ;
 2 da veniam, Picens, hoc canis est vitium.
 3 Sed quia tu Cynicus vis dici, et Clinicus idem ;
 4 esse idem poteris Merdicus, et Medicus.

DE FERDINANDO JUNIORE

E2_41 v.1 Si merita audieris Ferrandi ; Nestora credas :
 2 si numeres annos, dixeris Antilochum.

IN QUEMDAM.

E2_42 v.1 Ne valeam, superi, bene si facere hic pote, quem fors
 2 exilio, et vinclis vexit ad imperium.
 3 Et peream, ni cuncta evertere jam volet hic, qui
 4 nil meminit praeter vincula, et exsilium.

TUMULUS IN QUO PLORATUR FILIUS UNICUS.

E2_43 v.1 Cur heu Laetitiam falso dixere parentes,
 2 Tristitiam qui me dicere debuerant ?
 3 Natus erat miserae lux unica matris, ocellus
 4 unicus ; hunc Lachesis noxia subripuit.
 5 I nunc, vel Nioben confer mihi, cujus habet sors
 6 hoc melius, fieri saxea quod potuit.

IN PICTURAM.

E2_44 v.1 Anna Parens, cui caelestem sperare Nepotem
 2 contigit, intactae Virginis, Anna, Parens :
 3 ut tandem te te meliori in sede locares,
 4 credibile est artes edidicisse novas.
 5 Scilicet obscae semper convicia turbae,

6 et scelera antiqui perpetiar domini ?
 7 Vix haec, et medicas invadis protinus artes ;
 8 nec mora, jam caecis lumina restituis.
 9 Accurrunt aegri, complentur compita rhedis ;
 10 occupat angustas sedula turba vias.
 11 Ecce in quo picta es, paries exscinditur ; et te
 12 accipit hospitio Nata benigna pio.
 13 Nimirum sapis, Anna ; hoc contulit ipsa senectus :
 14 haud aliter poteris hac caruisse domo.

DE JUNONE, ET GANYMEDE

E2_45 v.1 Jusserat Iliacum mensis adstare ministrum
 2 Jupiter ; at Conjux : "Quis mihi miscet ?", ait.
 3 Ille verecundis libat crystalla labellis ;
 4 cui Dea : "Amatori da, puer, ista tuo."

IN CATONIS LAUDEM.

E2_46 v.1 Quae tegit extinctum cum Libertate Catonem,
 2 insultat tumulis, Caesar, arena tuis.

DE HOMERO IN LATINUM VERSO.

E2_47 v.1 Quid septem de Vate sacro contenditis Urbes ?
 2 Ecce potest civem dicere Roma suum.
 3 At vos aut nostrum, si fas, auferte Maronem ;
 4 aut alium vobis quaerite Maeoniden.

IN TUMULUM ASSANII.

E2_48 v.1 Tu, qui disjectos artus, inhumataque furtim
 2 Assanii occulto membra refers tumulo ;
 3 macte animi pietate, tamen nihil irrita busti
 4 gloria tam claros afferet ad cineres :
 5 quandoquidem voluit potius sic sparsa jacere,
 6 quam cadere ad tristes nobilis umbra rogos.
 7 Nunc late exigui fines egressa sepulcri,
 8 Eoum fama verberat Oceanum.
 9 Contempsit dulcemque animam, floremque juventae ;
 10 sanguine ut agnato dedecus elueret.
 11 Quumque hausit saevi stricto latus ense tyranni ;
 12 laudem obitu statuit quaerere, non tumulum.
 13 Quodque magis mirere ; hilaris, ridensque cruentos
 14 carnificis cultros cernere sustinuit.
 15 Dissimulet patriam ; taceat nomenque, genusque :
 16 qui facit hoc, dicit se Lacedaemonium.

IN TUMULUM CAUDOLAE.

E2_49 v.1 Heu quae te rigidi rapuit vis effera fati ;
 2 quis matri miserae tot peperit lacrimas,
 3 flos veterum, Caudola, virum ? Tibi maesta sepulcrum
 4 illa dedit, tristes Actius hos titulos ;
 5 hos titulos ; qui te nigras descendere ad umbras,
 6 obduci Stygia non patiantur aqua.
 7 Tempora miretur quivis sua : talis Achilles,
 8 talis, quum caderet, Martius Hector erat.
 9 I, precor, i nullos non durature per annos,
 10 Nestoreos qui jam vivere dignus eras.

DE JOVE, ET AMORE.

E2_50 v.1 Jupiter infractos jactat dum saepe Gigantes ;
 2 et sibi servanti dat decus omne poli :
 3 "Sic est", inquit Amor, "namque hoc mugire solebas
 4 tunc quoque, quum torva fronte juvenus eras.

HYMNUS AD D. NAZARIUM.

E2_51 v.1 Nazari, heu quis me tibi ad hanc supremi
 2 litoris ripam, quis ad hos putasset
 3 Tethyos fluctus, quis ad has daturum
 4 tura paludes ?
 5 Post tot emensos pelago labores,
 6 tot pererratos populos, sub ipso
 7 fine terrarum datur ecce amicum
 8 cernere Numen.
 9 Ergo in extremis, Pater alme, terris
 10 barbarae norunt tua sacra gentes,
 11 qua latus dextrum Liger aestuosus
 12 objicit undis.
 13 Jamque et Aulercos genus acre, et ipsos
 14 cernis ad te Lexovios citato
 15 essedo et picta volitare flavos
 16 puppe Britannos.
 17 O mihi semper geniale caeli
 18 sidus, o famae decus omne nostrae
 19 auctor o idem mihi gentis, et spi-
 20 rabilis aerae.
 21 Se tibi debet proavorum origo, et
 22 sanguinis si sunt decora ulla nostri :
 23 debet et praesens genus, et futurum,
 24 debet et haec lux
 25 sacra ; quae magnum mihi prima solem
 26 obtulit nascenti, et inane aperti
 27 aeris, pulchrosque micantis aethrae
 28 tot simul ignes.
 29 Hinc tuis per me dare grata templis
 30 munera, hinc natalicias coronas
 31 annuis suevit sociare sertis,
 32 dum fuit haec fors.

33 Nunc in ignotis vagor ecce campis,
 34 Regis heu cari exsilium secutus ;
 35 dum fides, et fas, et amor, piusque
 36 me rapit ardor.
 37 I, puer, buxum nemore e propinquo
 38 collige, et siquas tibi litus offert
 39 quercuum frondes : celebrare maestum
 40 sic juvat annum.
 41 O, ubi dulces patriae recessus
 42 abluis, Sebethae, loca illa myrto
 43 consita ; o, qui Pausilypi virentes
 44 det mihi citros,
 45 qua tuum lambens maris unda fontem
 46 margines parvi minuit sacelli,
 47 nostrum opus ; quo se recreet quotannis
 48 laeta juvenus.
 49 Quae tibi sacris operata arenis,
 50 frondibus remos, celeresque cymbas
 51 ornat, et forsitan mea nunc, ut olim,
 52 dona requirit.
 53 Heu, pater, cur heu mihi ad institutos
 54 non licet jam jam properare cursus ?
 55 Cur vetor templis, et adesse ludis
 56 rite dicatis ?
 57 Sit satis ventos tolerasse, et imbres,
 58 ac minas fatorum, hominumque fraudes :
 59 da, pater, tecto salientem avito
 60 cernere fumum.

DE AMORE FUGITIVO.

E2_52 v.1 Quaeritat huc illuc raptum sibi Cypria Natum :
 2 "Ille sed ad nostri pectoris ima latet.
 3 Me miserum, quid agam ? Durus Puer ; aspera Mater ;
 4 et magnum in me jus altera, et alter habent.
 5 Si celem, video, quantus Deus ossa peruret :
 6 sin prodam ; merito durior hostis erit.
 7 Adde, quod haec non est, quae Natum ad flagra reposcat,
 8 sed quae de nostro bella cruore velit.
 9 Ergo istic, fugitive, late ; sed parcius ure :
 10 haud alio poteris tutior esse loco."

DE CAMILLA SCALAMPA MEDIOLANENSI.

E2_53 v.1 Fumantem ambustis olim Phaetonta quadrigis
 2 excepit rapidis fluctibus Eridanus.
 3 Ecce recens, Ticine, tibi de Sole trophaeum
 4 erigit auratis culta Camilla comis.
 5 Nam Deus ille tuis ausus concurrere ripis,
 6 majoris Numen sensit adesse deae.
 7 O fatum fluviorum ! Ergo nova fabula vestris
 8 semper erunt Nymphis aut Pater, aut Phaeton

DE VIOLANTE GRAPPINA, FEMINA PRAECLARISS. DIALOGUS VENERIS ET AMORIS.

VENUS - AMOR

- E2_54 v.1 " - Unde mihi has violas affers, Puer ? - Accipe mater ;
 2 quando aliud calida de nive nil potui.
 VENUS - AMOR
 3 - De nive tu calida violas ? - Perstrinxit ocellos
 4 candor, et ecce, nivem quod puto, pectus erat.
 VENUS - AMOR
 5 - Mira refers : sed tela ubi sunt illa aurea ? - Habebam
 6 quum legerem violas ; nunc Violantis habet.

DE MORINNA.

- E2_55 v.1 Sit spectanda comis : sit pulchro corpore tota ;
 2 sit Venus, et blandas spiret ab ore rosas :
 3 Aoniasque deas, ipsam quoque Pallada vincat
 4 ingenio ; et dulci pectore mella fluant :
 5 dum tamen ire mihi noctes Morinna quietas,
 6 et sinat arbitrii libera jura mei.
 7 Arsimus ; et primos miseri deflevimus ignes :
 8 hoc satis : extremo turpe in amore mori.

AD ANIMUM SUUM.

- E2_56 v.1 Arsisti ; et miseras consumsit flamma medullas ;
 2 aridaque in cineres ossa abiere leves :
 3 flevisti ; roremque oculi fudere perennem ;
 4 Sebethus lacrimis crevit et ipse tuis :
 5 ardendi, flendique igitur quae tanta cupido est ?
 6 O anime, exsequias disce timere tuas ;
 7 neve iterum tua damna, iterum tua funera quaeras :
 8 Sirenum scopulos praeteriisse juvet.

DE CASSANDRA MARCHESIA.

- E2_57 v.1 Desine formosae dotes numerare puellae ;
 2 desine jam extinctas sollicitare faces.
 3 Nam dum saepe comas, frontemque, humerosque, manusque
 4 commemoras ; proprios exstruis ipse rogos.
 5 Dumque oculis Cassandra, animo Cassandra recursat ;
 6 Cassandra heu mentis jus habet omne tuae ;
 7 blandus Amor tacitis subrepsit in ossa venenis.
 8 Sic sibi vel fatum quilibet esse potest.

HYMNUS DIVO GAUDIOSO.

- E2_58 v.1 Gaudete, coetus Virginum,
 2 plenas habentes lampadas.

3 Sponsus sacras ad nuptias
 4 venit repente : surgite.
 5 Venit serenus Lucifer,
 6 nocturna pellens sidera :
 7 optata lux solennibus
 8 adest dicata gaudiis ;
 9 lux clara, qua fugans nigram
 10 Mundi Sator caliginem,
 11 vestri latere gloriam
 12 Patris diu non passus est ;
 13 qua Gaudiosi segmina,
 14 tot inreperta saeculis
 15 suis videnda civibus,
 16 dives retexit urnula.
 17 O ter beate et amplius
 18 lapis pusille, qui tuo
 19 tanti verendum Praesulis
 20 sinu recondis pulverem.
 21 Praesul sed o beatior,
 22 clarae decus Neapolis,
 23 tuae benignus patriae
 24 fer, Gaudiose, gaudia.
 25 Adsit fides, et veritas ;
 26 adsit probata castitas :
 27 morbos, famem, pericula
 28 tuis repelle moenibus.
 29 Ergo tibi sit gloria,
 30 inseparata Trinitas,
 31 Verbum, Paterque, et Spiritus,
 32 qui condidistis omnia.

DE EODEM AD VESPERAS.

E2_59 v.1 Audiatur surgens pariter, cadensque
 2 Sol tuas laudes, meritosque honores.
 3 Urbis o nostrae columen, tuaeque
 4 gloria gentis.
 5 Audiatur caelum, mare, terra, et aer,
 6 annuos ritus tibi dum novamus,
 7 dum damus flammis adolenda sacris
 8 tura per aras.
 9 Huc ades festa redimite fronde,
 10 caelitem plausus, choreasque linquens ;
 11 et tuam sedem, tua, Gaudiose,
 12 ossa revise ;
 13 ossa, quae longa tumuli sub umbra
 14 abdita, ignaras latuere gentes ;
 15 Nocte mox pulsa redeunt apertas
 16 lucis in auras.
 17 Hic dies nobis celebrer, precamur,
 18 laetior semper redeat, nec ullos
 19 hostium motus ferat, aut maligni
 20 sideris aestus.
 21 Da tuis longam, venerande, pacem
 22 civibus, da perpetuos honores,
 23 da bonam mentem, superique plenos

24 luminis haustus.
 25 Justa poscentes animos benignus
 26 adjuva ; injustos moderare sensus.
 27 Sentiant per te patuisse castis
 28 aethera votis.
 29 Laus tibi, Caeli Pater, atque Princeps,
 30 omnium Rector simul et Creator ;
 31 quem fides veri studiosa Trinum
 32 credit, et Unum.

AD DIVUM NAZARIUM.

E2_60 v.1 Dive, cui vasti metuenda ponti
 2 vis, et iratae famulantur undae ;
 3 quem per et spumas gradientem, et aestus
 4 nauta vocavit,
 5 ah miser poenas pelago daturus,
 6 quum niger circumstreperet procellis
 7 Auster, et turbata minax feriret
 8 sidera fluctus :
 9 te, mihi sanctum, patriumque Numen,
 10 te canam gentis columnen Latinae,
 11 auream prolem patris Africani,
 12 perpetuaeque
 13 matris heu vulnus grave, dum relictis
 14 Tybridis ripis, Italoque caelo,
 15 sponte trans Rhoetos iter, et nivas
 16 arripis Alpes ;
 17 lacte depulsus, velut ille, primi
 18 quem rapit cursus generosus ardor,
 19 pullus, et matrem fugit, et rapaces
 20 transilit amnes.
 21 Mox et ad Rhenum, horribilesque tendis
 22 Treverum gentes animosus hospes,
 23 morte festinans capere invidendae
 24 praemia palmae.
 25 Hic, ubi e carae gremio parentis,
 26 jam necis magnae comitem futurum.
 27 Excipis celsum, Pater, et salubri
 28 perluis unda.
 29 Perluis totas, mora nulla, et urbes :
 30 undique exhaustis properatur agris :
 31 barbaros gaudent Druidae sacrorum
 32 ponere ritus.
 33 Nazari nomen, meritique famam
 34 audiit, siquem Liger in remotis
 35 occulit ripis, refugove inundat
 36 Sequana cursu.
 37 Te neque injusti rabies Neronis,
 38 impios jam jam minitantis ignes,
 39 non per exsertos Anolinus urgens
 40 terrui enses.
 41 Jam voluptatum, gelidaeque victor
 42 mortis, et lapsi reparatur orbis
 43 diceris, milesque peraeque Iberis
 44 notus, et Indis.

45 Ergo speratum, Genitor, triumphum,
 46 et parum factis meruisse Caelum est :
 47 aureum vultu jubar, et coruscus
 48 fundis honores.
 49 Salve io, magni nova lux Olympi,
 50 cui per extentas operosa terras
 51 templa tot surgunt, calidisque fumant
 52 ignibus arae.
 53 Nos tibi hac grata scopulorum in umbra
 54 rite parvis aediculam columnis
 55 ponimus : nos perpetuo sacramus
 56 munere fontem.
 57 Accipe aestivam, novaserta, citrum, et
 58 Virgines lauros, gracilesque myrtos,
 59 quosque Mergellina tulit propinquo
 60 litore odores.
 61 O mihi longos liceat per annos
 62 hic sacra, et festos renovare ludos,
 63 et tuum castis sine fraude votis
 64 poscere Numen.

DE FERDINANDO HAVALO, PISCARIAE PRINCIPE.

E2_61 v.1 Admoveant iterum Caelo si castra Gigantes
 2 hoc duce, quo Ligurum gloria fracta jacet :
 3 cum Marte Enceladus, cum Phoebosigna Typhoeus
 4 conferet, ipse Havalus cum Jove bella geret.

IN NOLAM URBEM.

E2_62 v.1 Infensum Musis nomen, male grata petenti
 2 Virgilio optatam Nola negavit aquam.
 3 Noluit haec eadem Joviano rustica vati
 4 hospitium parvae contribuisse morae :
 5 idcirco nimirum hoc dicta es nomine, Nola,
 6 nolueris magnis quod placuisse viris.
 7 At tibi pro scelere hoc caenosos fusa per agros
 8 exhaustit populos Styx violenta tuos.
 9 Jamque quid, o nullis abolenda infamia saeculis,
 10 imprecer ? Et caelum desit, et unda tibi.

IN LYGDAMUM.

E2_63 v.1 Quaeris, Lygdame, musca cur voceris ?
 2 Nam musca es, mihi crede, tam molesta,
 3 quam nec sunt culices, gravesque fuci,
 4 quam nec vermiculique, cimicesque.
 5 Unum te tamen arceat necesse est.
 6 Turdelaee auxilium cacantis, ut te
 7 non muscaria, milvique caudae,
 8 non alae accipitrum potentiorum
 9 avertant, abigantque saevientem.

LIBER III

MARIAE GARLONIAE GRAPPINAE.

E3_1 v.1 Propago formosae arboris
 2 formosa Virgo, quae vagos
 3 inter orta Cupidines,
 4 veris lilia vincis,
 5 rosasque molles, et croci
 6 pulchre rubentis igneum
 7 florem, et uvidulas comas
 8 halantis hyacinthi :
 9 redisti avitos ad lares,
 10 felicem ocellulis tuis
 11 redditura Neapolim,
 12 caro adnixa marito :
 13 redisti ad optatos choros
 14 aequalium, et probos sinus
 15 matris, ac bene cognitum
 16 fratris dulcis amorem.
 17 Quis o, quis hunc albo mihi
 18 signet diem lapillulo ?
 19 Quis Sabaea calentibus
 20 addat munera flammis ?
 21 Vocanda Musarum cohors.
 22 Huc huc, benigna ; et abditam
 23 barbiton cape, myrteis
 24 frontem vincta coronis,
 25 Thalia : quid dignum tuo
 26 promis favore ? Quid bonae
 27 voce, vel fidibus student
 28 respondere Sorores ?
 29 Sed esse quid laetum, Deae,
 30 hic absque amoribus potest ?
 31 Non movet Chione suis,
 32 non me Lyda papillis.
 33 Procul facessant hinc malae,
 34 saeculi pudor, libidines.
 35 Mi sat est, minuatur graves
 36 si Garlonia curas.
 37 Juventa, cur me tam cito
 38 ludendo inepta deseris ?
 39 Haec erat facies novis
 40 non fraudanda libellis.

AD CASSANDRAM.

E3_2 v.1 Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris
2 Cassandra una choris addita Diva tribus.

SE FIDEM SERVATURUM.

E3_3 v.1 Si post fata novos animas errare per artus,
2 vera docent Samii dogmata nota senis ;
3 nec pote mens eadem mutari, seu ferus altis
4 erret aper silvis, seu vaga cantet avis :
5 ipse ego, mens quoniam est uni servire puellae,
6 exurgam maestis turtur ab exsequiis.

AD FEDERICUM.

E3_4 v.1 Litibus abstinui semper ; mihi testis Apollo est,
2 et Musae, et studiis otia grata meis.
3 Nunc me nescio quis per tristia jurgia versat
4 Scotius, et rauci cogit ad arma fori.
5 Es fateor magnus pulsus, Rex inclyte, Gallis.
6 Pelle etiam Scotos, et mihi major eris.

AD EUNUM.

E3_5 v.1 Quidquid erat tripodum Cumis, Delphisque, petisti ;
2 discere fortunam dum cupis, Eune, tuam.
3 At Deus : exstabis supra regesque, ducesque :
4 veridico tandem rettulit ore tibi
5 Tu tamen hic vanos sumsisti, Graecule, fastus :
6 jam magni dominus, jam pater, orbis eras.
7 Ecce crucem ascendis. Non te Deus, Eune, fefellit :
8 omnia sunt crepidis inferiora tuis.

AD PORCIAM BRANCIAM, ET ISABELLAM SOROREM

E3_6 v.1 Porcia, et Isabella, venustae pignora matris,
2 dicite, quis vestras non amet illecebras ?
3 Tu quoque dic, tali quum sis dignissima partu,
4 quis, Leonora, tuo nolit ab igne mori ?
5 Natarum illecebris, matris simul ignibus uri
6 qui cupit ; is mortis flagrat amore suae.
7 Vita, vale : in lucro est periisse : sed hoc reliquum, Mors,
8 quod sinis, est ipsis vix satis exsequiis.

OPUS INCERTUM

E3_7 v.1 Parthenope mihi culta, vale, blandissima Siren :

2 atque horti valeant, Hesperidesque tuae.
 3 Mergellina, vale, nostri memor : et mea flentis
 4 serta cape, heu Domini munera avara tui.
 5 Maternae salvete Umbrae : salvete, paternae :
 6 accipite et vestris turea dona focis.
 7 Neve negate optatos, Virgo Sebethias, amnes :
 8 absentique tuas det mihi somnus aquas.
 9 Det fesso aestivas umbras sopor : et levis aura,
 10 fluminaque ipsa suo lene sonent strepitu.
 11 Exsilium nam sponte sequor. Fors ipsa favebit :
 12 fortibus haec solita est saepe et adesse viris.
 13 Et mihi sunt comites Musae : sunt Numina vatum :
 14 et mens laeta suis gaudet ab auspiciis.
 15 Blanditurque animi constans sententia : quamvis
 16 exsilii meritum sit satis ipsa fides.

FRAGMENTUM EJUSDEM AUCTORIS.

E3_8 v.1 Optatos jam, Euploea, mihi circumspice portus,
 2 quo liceat trepidas piscanti includere praedas,
 3 et Zephyris relevare graves spirantibus aestus ;
 4 si qua movet cupidam velocis gratia cymbae.
 5 Tuque ades, o nostri merces non parva laboris,
 6 quem Phoebus mihi, quem doctae, mea turba, puellae
 7 conciliant ; dumque ipse ratem de litore pello,
 8 da vela insinuans, pelagoque excurrere patenti,
 9 pars animae, Puderice, meae. Te nam sua Nereus
 10 per vada, te medio Doris vocat aemula fluctu,
 11 dum late horrisonum campus strepit omnis aquarum.
 12 Lucrinae ad Veneris templum convenerat omnis
 13 Aenariae, Prochytaeque manus : Zephyraeus opaca
 14 Scilicet Aenaria, Prochyta venit Euthychus alta,
 15 insignes ambo calamis, et versibus ambo,
 16 aptus uterque fretis, piscatibus aptus uterque ;
 17 ille hamos versare, hic retia solvere in aequor.
 18 Tum prior haec Zephyraeus : adeste o litore ab omni,
 19 piscatorum artes ; liquidas exquirite sedes ;
 20 vertite Tritonum latebras ; penetrate recessus
 21 Nereidum : numquam nostros sedabitis ignes :
 22 numquam me Pholoe, numquam me Chloris amabit.
 23 Ede tuos mecum tandem, cava buccina, cantus.
 24 Testis Cymothoe, testis mihi candida Clotho,
 25 optavi quoties mediis in fluctibus aegram
 26 projicere hanc animam ; quoties ego gurgite in alto
 27 occurri monstris immanibus, horrida caete
 28 ut saltem miseros lacerarent dentibus artus.
 29 Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
 30 Omnia tentavi, terras, mare, nubila, caelum,
 31 ventorumque domos, et tempora quattuor anni :
 32 omnia sed nocuere simul. Vos ite, puellae,
 33 ite, Deae pelagi, furiis arcessite nostris
 34 nunc alios succos, aliasque Melampodis herbas.
 35 Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
 36 Non magicos versus, ignotaque nomina rerum,
 37 dissimilesque Deos, Erebumque, Chaosque refugi.
 38 Ipso quinetiam filo convolvere rhombos

39 edidici, partesque meas de litore echinos,
40 de scopulis muscum, de fluctibus hausimus undam.
41 Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.